

ERN. SAL. CYPRIANI

DISSERTATIO


DE

PROPAGATIONE

HÆRESIUM

PER

Cantilenas.



ACCEDIT

CUNR. THEODORICI

ORATIO

DE

Mixta Hæreticorum


PRUDENTIA.

L O N D I N I :

Apud F. FAYRAM, ad Insigne Bibliorum in
Scalding-Alley, prope Stocks-Market : &



Venerabilibus atq; Clarissimis
Viris,



D. Severino LINTRUPIO,
In Academia Hafniensi Theologiæ
atq; Eloquentiæ Professori Publico,
& Collegii Consistorialis Assessori.

D. Christiano TYCHONIO,
Pastori Primario Scheviensium, &
Nomarchiæ Hindburgensis Præposito
in Cimbria Septentrionali.

D. Georgio SERPILIO,
Ecclesiarum Evangelicarum Ratif-
bonæ Superintendenti :

E T

D. Balthasari MENTZERO,
Germanorum invariatae Confessioni
Augustanæ addictorum, qui Londini
in Temple SS. Trinitaris conveni-

Amicis, & in Christo

FRATRIBUS CHARISSIMIS,

Summam omnium Bonorum,

GRATIAM DEI,

PRECATUS,

Phylacterium * avertendæ Fanaticarum
Cantionum Contagioni paratum,

D. D. D.

Ernestus Salomon CYPRIANUS, S.T.D.

Confiliarius Consistorialis & Ecclesiasticus

I N

AULA GOTHANA.

Gothæ Thuringorum, nonis Februarii, A. O. R. clolcccxx.

[*] Plato quarto de republica editionis, quæ Francofurti, Anno 1602. prodit, p. 634 : Τὸ ΦΥΛΑΚΤΗΡΙΟΝ ὀικουμένη-
σιον τοῖς Φύλαξι ἐν κωστή.

DE
PROPAGATIONE
HÆRESIUM


PER
Cantilenas.

DISSERTATIO
ERN. SAL. CYPRIANI.

S. T. D.

L O N D I N I :


Anno M DCC XX.





CAPUT I.

Mutatis cantibus mores mutari.



Etus opinio est, jam usque a
Damonis ducta temporibus,
eaque & frequentibus experi-
mentis, & multarum gentium
firmata consensu, cantibus mutatis bo-
nas leges, ipsamque adeo rempublicam
mutationis periculo exponi. (†) Igitur
Plato, quem notum est *τὸ νεωτερίζειν*
περὶ μουσικῆν fine tertii de legibus, & de
republica quarto, penitus damnare, hanc
legem tulit civitatum rectoribus. *Caven-*
dum speciem musica novam inducere,
tanquam in toto naufragium. Nusquam
enim musica modi mutantur absque max-
imarum legum civilium mutatione. Quem
locum Cicero respicit III. de legibus
capite XIV. ubi de Platone: *Muscorum*
cantibus ait mutatis mutari civitatum
status. Et lib. II. cap. XV. *Ille sapien-*
tissimus Gracia vir longeque doctissimus

(†) Vide
Bodinum
l. IV. de
republ.
cap. II.
Contzen-
ium politi-
corum II.
cap. XIX.
Cardina-
lem Bo-
nam opp.
p. m. 537.
Voffium
de artib.
popular.
lib. I. c.
IV. §. 46.

*valde hanc labem veretur. Negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Nihil autem refert, si quis Platonem de solo canendi modo locutum arbitretur. Nam si sonorum mutatio tantum valet ad perniciem re-
rum publicarum, quantum mutato in-
super verborum sensu valebit? Quan-
quam legenti, quæ Eusebius lib. XII,
præparationis cap. XX. XXI. & XXII.
de odis ex Platone profert, dubium esse
non potest, quin & sonorum, & verbo-
rum sensuumque mutationem improba-
verit.*

CAPUT II.

*Ejus rei causam esse vim illam, quæ
in vario canendi sono inest ad homi-
num animos permovendos.*

Non est autem mirum, mutatis can-
tionum modis mores hominum
mutari, ad eamque rem efficiendam
plus cantionum, quam sermones, con-
ferre. Inest enim in concentu musico,
etiam sine verbis efformato, satis virium
ad hominum animos prolectandos com-
movendosque. Sane cum mutas quas-
dam animantes affici sonorum præstantia
videamus; instar miraculi foret, si homo

ex admirabili sonorum concentu, aut unius etiam vocis amabili flexione claritateque, nihil omnino delectationis caperet. Ita enim natura comparatum est, ut animæ nostræ ordinata & consonantia placeant. Quare cum cogitat, non potest non conjungere, in quibus sibi cernere convenientiam videtur; separare, quæ pugnant. Quod si præterea totus mundus harmonia est, nec in plantis tantum & animalium corporibus, sed etiam in artificiosis operibus quandam quasi musicam intelligimus; certe qui musica non oblectatur, & animæ suæ excellentiam ignorare, & hujus universi ordinem ac consensionem parvi facere, cumque ipse distortus sit, spernere recta videbitur. (†)

Ergo hoc quidem perspicuum est, musicam omnem, maxime vero cantus in frustula concisos & salientes, quasi vim inferre mentibus, & quo volunt, imprudentes pertrahere. (††) Adjuncto vero, ut verbis etiam gravitas & elegantia insit; vim ad oblectandum idoneam, quam concentus sine verbis habiturus erat, in utramque partem duplicatam sentient auditores. Testis Augustinus libro X. cap. XXXIII. confessionum, Vid. Gataker. adversar. post-hum. c. IX. p. 490. & Hertii elements prudent. civil. P. II. Sect. II. §. LVIII.

(†) Lege Marianam de regia instituti- one lib. II. cap. VII.

(††) Hinc veteres juvanda memoria causa leges inter epulas decantabant.

*ipsis, inquit, sanctis dilectis religiosus
 & ardentius sentio moveri animos no-
 stros in flammam pietatis, cum ita cantan-
 tur quam si non ita cantarentur, & om-
 nes affectus spiritus nostri pro suavi
 diversitate habere proprios modos in vace
 atque cantu, quorum nescio qua occulta
 familiaritate excitentur. Quamobrem
 facta per Lutherum doctrinæ Christianæ
 purgatio cantionum adjuncta magno-
 pere desiderabat. E quibus quantum
 utilitatis ad ecclesiam evangelicam re-
 dierit, ex Contzenii criminatione, quæ
 II. politicorum cap. XIX. habetur,
 abunde cognoscimus. Ait enim: *Hymni
 Lutherici animas plures, quam scripta
 & declamationes, occiderunt. Quod &
 reformationis initio Eckius pervidit,
 cum locorum communium enchiridio
 hunc finem faceret: Neque permittenda
 sunt Alemannica per hæreticos ecclesiam
 spernentes dictatæ cantinacula, etiamsi,
 id quod sunt minime, catholica essent,
 vel ob id maxime, quod per eas omnem
 cantum ecclesiasticum, cultum divinum
 sacrosque ritus & ceremonias extinguere
 moliantur, simplicemque populum misero
 a se seductum perfidia detinere admi-
 tuntur.**

Interest igitur ecclesiæ & reipublicæ,
 quæ harmonia continetur; musicam coli,
 eamque gravem ac stabilem; Ionicam

vero ac Lydiam, qua nihil est ad molliendos animos accommodatius, aut negligi, aut modice tractari. Docet nos Cicero II. de legibus cap. XV. unde insignem locum transcribam. *Assentior Platoni, inquit, nihil tam facile in animos teneros atque molleis influere, quam varios canendi sonos. Quorum dici vix potest quanta sit vis in utramque partem. Namque & incitat languentes, & languefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit: civitatumque hoc multarum in Græcia interfuit, antiquum vocum servare modum: quarum mores lapsi ad mollitiem pariter sunt immutati cum cantibus.* Docet præterea rerum civilium magistris nunquam improbata veteris ecclesiæ consuetudo, de qua Bodinus quarto de republica secundo capite: *Ecclesiæ Christianæ duces olim ac pontifices in sacris laudibus cantus Ionicos ac Lydios vetuerunt, Doriosque solum probaverunt.* Cæterum quod heic de Christianorum ecclesiastico canendi genere observat Bodinus, etiam de ethnicorum sacris. notatum est eruditissimo viro, † qui Oxonii anno

† Isaacus
Vossius.

1668. e Theatro Sheldoniano librum de poematum cantu & viribus rythmi edidit. Sic enim ait haud procul a fine: *Hymnis & Deorum sacris adhibebatur tibia Doria, & ipsa quoque*

gravem emittens sonum, sed densum & plenum. Amatoris & jucundis affectibus explicandis Ionica inserviebat tibia, acutam simul & raram emittentes vocem. ††

†† pag.
117.

CAPUT III.

Morem canendi in Christianorum conventibus cœpisse cum disciplina Christi, nascentemque ecclesiam stato tempore certis & communibus cationum formulis Deo supplicasse.

SImul atque Christiana religio publicata receptaque est, in hymnis decantandis affectatores ejus versabantur. Christus ipse cecinit mortem obiturus. Neque id solus fecit. Nam & magister & discipuli in olivetum se contulere ὑμνίσαντες. Christianis autem omnibus præcipit Apostolus, ut se ipsi doceant psalmis, hymnis & odis spiritualibus. Id quo studio factum sit a veteribus, ex Plinii lib. X. epistola XCVII. discimus, quæ circa initium seculi II. Christiani scripta est. Nam affirmasse Christianos ait, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum*

invicem. Quo in loco quid sit *carmen Deo dicere*, Tertullianus nos docet ita inquiring apologetico: *Plinius consuluit Trajanum imperatorem, allegans, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quam cœtus antelucanos ad canendum & Christo & Deo.* Justinus martyr apologia II. ait, Christianos Deo *ἱμνους πῆμπεδν*, ejusque rei magistrum habere Jesum Christum. Tertii seculi testes in re explorata proferre nil attinet.

Certum igitur hoc sit, morem Quackerorum, sacra publica sine cantionibus facientium, & psalmos suis conventibus exulare jubentium, adversissimum esse veteri ecclesiæ. Urgent quidem, psalmos Davidis conditionem describere, ab illa plerorumque christianorum longe diversam. *Quod ad communem formalem cantandi modum*, ait Barclaius, (†) *bunc abusum peculiariter habet, quod inde frequenter horrenda & abominanda mendacia in conspectu Dei confidenter dicantur, dum omne genus profanorum & impiorum personare beati Davidis conditionem & experientias non dubitant, quæ quoad eos falsa sunt, neque quoad eos solum, sed & quoad alios magis sobrios & mundos in ex-*

(†) Apologia Latina thes. XI. p. 261. D. Kohlhanius, Quackerorum in Batavis diu antesignanus, quem memini mihi anno cl. lxxclv.

Roterodami factum. Barclaii apologiam a se Germanice versam ac passim interpolatam esse, p. 302. versionis, verbis nonnihil mutatis, idem dicit.

teriore homine. Sed abusus usum nequit tollere, nec propter malos boni sunt publico psalmodiarum usu privandi. Præterea res sacræ non tantum literarum monumentis consignatæ sunt, ut credentium dona per eas augeantur; sed etiam ut impii convertantur ac fidem concipiant. *Hæc scripta sunt, ut credatis*, inquit Joannes. Quare cum in Psalmis vis divina insit ad hominum mentes sanandas atque illustrandas; inspicere eos, tanquam in speculum, omnes debent, ut sibi Davidem proponant ad imitandum; osuri quippe suam deformitatem, cognita viri sancti pulchritudine. Cantare psalmos est vitam probare. Christiani veteres de psalmis ita sentiebant: *Omnes pene psalmi Christi personam sustinent, filium ad patrem, id est, Christum ad Deum verba facientem representant.* (†) Cecinerunt tamen psalmos non solum in conventu publico, sed etiam domi. De conjugibus Tertullianus sine libri ii. ad uxorem: *Sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit.* Unde autem probabunt Quackeri, omnes Christianos, psalmos in veteri ecclesiâ canentes, Davidis experientia esse gavisos? Psalmorum liber est medicamen-

(†) Tertullianus
adv. Praxeam opp.
p. m. 412.

torum officina, unde sibi inter cantandum quilibet assumit, quod ad se pertinere conscientia dicitur. Non omittit autem, quæ in psalmis Zachariæ, Simeonis, Mariæ & Davidis ad hos sanctos peculiariter pertinent; sed utilitatem inde maximam excerpit, dum vel Deo gratias agit pro donis in sanctos collatis, vel divinam opem sibi etiam in angustiis affuturam sperat, vel sanctos ad imitandum propositos videt, vel peccatorum suorum gravitatem perhorrescit, vel suæ fidei infirmitatem intelligens sanctis comparari reformidat, & si quæ sunt utilitates aliæ, quas commemorare longum est. Nisi magnopere fallor, vel quinque animarum ad rem sacram faciendam cœuntium raro eadem prorsus conditio est. Quid autem perniciosius esset decreto, quo vel quinque fideles communis formulæ, cum orant aut cantant servandæ, innocentissimo usu prohiberentur? Siccine membra corporis Christi conglutinantur? Retineamus igitur hunc morem, nosque in prudentia applicationis exerceamus,

CAPUT IV.

Hæreses per cantilenas facile propagari.

Hæresium propagatores ad errorum suorum fines dilatandos cantionibus uti solent, non solum propter vim verborum & concentus in iis conjunctam; sed etiam ob gratiam novitatis, qua fit, ut vix ullam in rem appetentius ferantur homines, quam in cantus novos, aut sibi ignotos. Pertinet huc laudatus Platoni locus ex Homeri primo odysseæ; *Eam enim cantilenam magis celebrant homines, Quæcunque auditoribus recentissima existat.* Apud Xenophontem legas primo de Cyri institutione: *Quæ nova sunt, & ipso quasi in flore, vehementer illa quidem in musicis probantur.* Denique hæresis cantionibus utitur, quod hoc modo mentes inermes occupat, & cum sonorum dulcedine nullum non errorem haurire paratas. Nulla enim hic cautio, provisio nulla. Quotus enim quisque veretur, ne cum cantilenis noxia audiat atque discat? Satis cavere creduntur, qui fugiunt prava colloquia & libros perniciosos. Cantiones discunt canuntque complurculi propter flexionum amabilitatem

tatem, soni, quam veritatis, cupidores. Unde prius, quam sentiunt, errores fuxerunt. Recte Plato IV. de republica: *Ejusmodi peccatum clam & facile surrepit.*

Ut autem exempla quædam errorum per cantilenas propagatorum in medium afferamus, inter omnes constare arbitror, Valentinum hac arte magno ecclesiæ damno usum esse. Reprehendit ejus psalmos Tertullianus de carne Christi cap. xi. & copiosius cap. xiv. quo ait: *Nobis quoque psalmi patrocinantur, non quidem apostata & hæretici, & Platonici Valentini, sed sanctissimi & receptissimi propheta.* Bardesanis hæresis eodem modo propagata fuit: Quod cum videret Ephraim Syrus, retentis Harmonii, quem Bardesanes filium habuit, canendi modis, orthodoxæ religionis capita metro complexus est, ut Syri, cum canere vellent, innoxie voluptatis quoddam quasi pabulum haberent. Recitabo rem Sozomeni verbis e libro iii. historiæ capite xvi. *Nec ignoro, inquit, olim quoque fuisse apud Osdrænos viros doctissimos, Bardesanem scilicet, qui hæresin ex ipsius nomine appellatam condidit, & Harmonium* ejusdem Bardesanis filium: qui cum Græcis disciplinis egregie institutus fuisset, primus patrum sermonem metris ac modulis subjecisse di-*

citur, & choris tradidisse : qua ratione
 Syri etiamnum frequenter psallunt, non
 carminibus ab Harmonio scriptis, sed
 numeris ejus utentes. Nam cum a pa-
 terna hæresi non omnino alienus esset,
 scripta sua ad Lyrae cantum composuit,
 & opiniones illas operibus suis inseruit.
 Ephraim vero cum Syros & verborum
 elegantia & modulationis concinnitate
 delinitos videret, eaque ratione paulatim
 adduci, ut idem cum Harmonio senti-
 rent, ipse licet Græcæ eruditionis experts
 operam dedit, ut Harmonii numeros in-
 telligentia assequeretur : & juxta nu-
 meros scriptorum Harmonii alios com-
 posuit libros, ecclesiasticæ doctrinæ con-
 sentientes. Ex eo tempore Syri juxta
 numeros canticorum Harmonii scripta
 Ephraim psallere solent. Lege & The-
 odoritum ecclesiasticæ historiæ lib. iv.
 cap. xxix. Ejusmodi tibias & Arius
 inflavit, quem Philostorgius ait, cum
 ab ecclesia recessisset, cantica nautica &
 molendinaria ac viatoria conscripsisse,
 aliaque composuisse certis modulationi-
 bus aptata, atque ita imperitorum ani-
 mos suavitate cantus ad impietatem su-
 am sensim abduxisse. (†) Adhibebat
 autem genus carminis sotadicum, quo
 nihil lascivius duxerunt veteres. Quin-
 tilianus institutionum lib. i. cap. viii.
 Elegia vero, utique qua amat, & ben-

(†) Philo-
 storg. L.
 II. hist.
 eccles. c.
 II.

decasyllaba, quibus sunt commata sota-
 deorum (nam de sotadeis ne precipien-
 dum quidem est) amoveantur, si fieri
 potest; si minus, certe ad firmiter æ-
 tatis robur reserventur. His igitur ver-
 sibus errores suos propagandi propo-
 situm habuit Arius, culpandus Athana-
 sio cum sæpe alias, tum maxime epi-
 stola de mente Dionysii, & secunda
 contra Arianos disputatione, qua Arius
 inquit, *emulum se in ridiculis uni So-
 tade præbuit. Quid enim aliud con-
 gruum illi, qui Christo salvatori oboreis
 suis insultare voluit, quam ut miseris
 dictiunculas impietatis suæ metris dis-
 solutioribus & elumbatioribus insona-
 ret, ut, quemadmodum sapientia loqui-
 tur, eloquio verborum cognoscitur vir:*
*ita quoque ex illis sotadicis numeris
 animi ejus effæminatio & mentis pu-
 trilago deprehendatur.* In carminibus
 vero Arianis illud præ cæteris displicuit
 divinitatis Christi cultoribus, quod
 Thalamiam vocavit. (††) Quamquam
 Thalia liber potius carminum, quam
 carmen unum fuit. Neque errare vi-
 dentur, qui vertunt: *liber convivium.*
 Arius enim non ignorabat, Christianos
 in conviviis Deum hym-
 nis celebrare: quem morem Ter-
 tulliani tempore obtinuisse ex apologe-
 tico discimus, ne quid dicam de Cypri-
 lia.

(††) Mar-
 tialis lib.
 VI. epi-
 gr. XVI.
 Inter car-
 mina
 sanctiora
 si quis
 Lasciva
 fuerit lo-
 cus Thd.
 lia.

ano, sine libri ad Donatum scribentē :
*sonet psalmos convivium sobriūm. Et
ut tibi tenax memoria est, vox canora;
aggredere hoc munus ex more.* Imo Ap-
postolorum ætate Christianos jam ca-
nere in conviviis solitos, docet nos
Pauli ad Ephesios præceptio, quos vult
non vino, sed Dei spiritu impleri, &
in agapis spirituales odas decantare.
Igitur Arius, hanc etiam consuetudi-
nem in rem suam vertendam ratus,
librum edidit Thalix, hoc est, convi-
vii titulo lectorum gratiam aucupari co-
natum. Est enim *θαλία* convivium
lætum ac quasi floridum, unde *θαλιάζω*,
fertis virentibus redimitus festiviter e-
pulis. Ille vero Arii liber, five sola
carmina complexus est, five versus ora-
tioni admiscuit, orthodoxorum animos
etiam ipso titulo offendere visus est.
Athanasius certe, laudata adversus A-
rianos disputatione, magnam habere
admirationem ait, cum nemo unquam
suas sacrarum literarum explicationes
hoc titulo vocari voluerit, ac ne eth-
nici quidem frugi ac temperantes suis
eum libris præfixerint, Arium *θαλίαις*
vocabulo gavisum esse. Argumentum
libri prodit Socrates lib. i. historix
cap. ix. Ait enim, Arium de sua opi-
nionē librum composuisse inscriptum
θαλίαις, in eoque dicendi genere molli

& soluto atque sotadicis carminibus non abfimili usum. Damnatam in synodo Nicæna Thaliæ dicto loco Socrates, & Sozomenus historiæ lib. i. cap. xxi. tradunt. Socrates præterea decretum Constantini recitat, quo Arii libros occultantibus, ne comburantur, pœna capitis denunciatur. Hinc tanta Thalæ raritas, ut Sozomenus fateatur, se eam non vidisse. Sed impedire non potuit hæc severitas, quo minus Ariani, Ario pridem fatis functo, arte magistri usi *κατὰ τὸν τῶν ἀντιφωνῶν τρόπον*, antiphonatim canerent, clausulas juxta ipsorum dogmata compositas adjicientes, atque integras odas decantantes, in quibus illud frequens erat: *ubinam sunt, qui tres dicunt esse unicam potentiam?* Unde catholici episcopi necessitatem sibi impositam viderunt purioris doctrinæ per cantus defendendæ, eoque hymnos adornarunt Arianis erroribus oppositos, quos populus decantaret. Lege Sozomenum lib. 8. cap. 8. ubi cantilenas in mutuam cædem desisse intelliges. Pauli Samosatani cantiones ad mulierum indolem attemperatas Eusebius describit lib. 7. historiæ cap. 30. quo loco astutioris hæretici exemplum nobis & in eo præstat, quod veteres & probatas cantiones pro sua impudentia

CAPUT V.

Novas cantiones non facile in ecclesiam recipiendas, veteres autem, quarum syllabus exhibetur, magni faciendas esse.

Fraudibus hæreticorum, errores suos cantilenis propagantium, salutare consilio jam olim obviam itum est a Synodo Laodicensi, penultimo canone: *Quod non oportet ἰδιωτικῶς ψαλμοῖς, (†) privatos psalmos in ecclesia legere.* Cui canoni animum intendit Agobardus lib. de divina psalmodia, cum ait: *reverenda concilia patrum decernunt, nequaquam plebeios psalmos in ecclesia decantandos.* Ubi per plebeios psalmos a privatis & imperitis compositos intelligi, recte observatum est doctissimo Baluzio notis ad hunc Agobardi locum. In collectione conciliorum Arabica, quæ Oxonii asservatur, hunc canonem reperias: *Nemo legat in ecclesia alios psalmos præter illos Davidis. Nam relatum est ad sacram synodum, quosdam hæreticos alios psalmos sibi composuisse præter illos, quos composuit*

(†) Tho. Smith. Miscell. P. 137. recte vertit: a privatis compositos.

David propheta, & illos in ecclesia
 lecitasse, arroganter pro se ipsis af-
 firmantes, se viros bonos & honestos
 esse aequae ac David propheta fuit, &
 posse se aequae ac illum prophetare, al-
 legantes & illud ex libro actorum, &
 ex Joële propheta, filii & filiae ve-
 strae prophetabunt, & senes vestri vi-
 debunt visiones; & esse, qui recipe-
 rent hos psalmos nuper compositos. Sed
 concilium hic interdicit, ne recipian-
 tur. (†) De Ebraeis vere scribit
 Eusebius lib. 12. præparationis cap. 22:
*Jure, cautum apud Hebræos fuit, ut
 ne alii divinis in doctrinis hymni can-
 tusque locum haberent, quam quos
 divinus ipse spiritus divinorum ac
 prophetarum hominum ore fudisset,
 eoque præterea modulorum genere, quod
 & cum ipsis cohereret, & solenni apud
 eos receptoque more caneretur.*

Igitur manifesto compertum est, ne-
 que Ebrææ, neque veteris ecclesiæ

(†) Vide le Moyns var. sacr. to. 2. p. 1091. Conf. tamē Heideggerum enchir. bibl. lib. 2. c. 1. p. 494. & Eustacium a S. Ubaldo disquis. de castu a D. Ambrosio in Mediolanensem ecclesiam introducto p. 301. quæ subjecta est ejus commentar. de Dei benedictione Mediolani 1695. impresso, instructoque disquisitione de hymni, *Te Deum laudamus*, auctoribus, §. 274. quam opposuit Tenzelii nostri subtili, ut vocat, exa-
 gitationi.

christianæ exemplo auctoritateque fieri, quod, ædificato quasi licentiæ templo, novorum hominum cantilenas, easque a nullo orthodoxorum cœtu examinatas, irrepere, veteres autem & evangelicis Germaniæ, Daniæ, Sueciæ, Angliæ, Bataviæ, aliarumque regionum ecclesiis probatas, per fraudem excludi patimur. Nemo non sentit, Spiritus sancti dona hodie, quam olim, nulla nostra laude, rarius inter Christianos inveniri. Videas tamen decennio plures cantiones publicis libellis insertas, quam quidem inde a purgatæ religionis incunabulis factum fuerat. At cum privato fas non sit cæremonias migrare, aut sua aliorumque meditata in conventibus publicis prælegere; quæ impudentia videri debet, si quis suas, aut suorum amicorum cantiones, privato ausu ecclesiæ obtrusas, antiquas autem ejectas, atque adeo præcipuam quandam cultus publici partem mutatam velit? Certe id agere, ut Christianorum cœtus aliquis in canendis hymnis ab unius viri arbitrio pendeat, sapientibus antichristianum fastum prodere videbitur. Recte Agobardus lib. de

(†) Opp. correctione antiphonarii: (†) Ne-
 10. II. P. que vero passim, & absque diligenti
 85.

examinatione, quod cuique visum fuerit, in Dei laudibus usurpandum est. Unde & apostoli humanæ indignationis conscii orandi formulam a Deo petierunt, dicentes, Domine, doce nos orare.

Nemo mihi obvertat cantiones Lutheri, cujus ego viri sine grata prædicatione nunquam meminisse possum. Nam & ab ecclesiâ receptæ, & antiquissimæ sunt, nempe Davidis & veteris ecclesiæ psalmi, quos e Latino vertit Lutherus, & rhythmis expressit gravibus atque ad commovendum idoneis, quos populo explicant pii & purioris linguæ patriæ, quæ usus est Lutherus, non ignari sacerdotes, sicubi ex recte vertendi studio non nihil obscuritatis illis adhærescit. Vix, ac ne vix quidem tres cantilenæ nominari possunt, quæ versiones non sint, sed Lutherum ipsum auctorem habeant. Adde, non statim Lutheros esse, qui, pro sua imperita arrogantia, haud paulo plus sibi assumunt, quam Lutherus unquam fecit. Quid est in novis cantionibus, quo audeant palmam antiquis præripere? Fidei Christianæ capita plerumque frigidissime attingunt, aures sine cordis commotione pascunt, solâ modulorum & versuum elegantia blandiuntur. Mitto incommoda, quæ ex earum admissi-

one profluunt, & periculum, in quod ecclesiam adducunt; neque illud affero, cantus veteres incredibilem vim suam, quam ad hominum mentes erudiendas movendasque habent, in hunc usque diem, maxime vero illa ætate, qua religio primum purgata est, satis dedisse probatam; novos nil tale unquam præstituros. Illud saltem monebo, quod sapientes fatentur, novos antiquis nulla re antecellere, eoque hos loco movere, & neglecta totius ecclesiæ evangelicæ voce, nihil non ausuris novatoribus aures præbere, & serviles commodare linguas, nequaquam utile videri.

Ut autem sciant posterius, & sine dubio sciant, quæ cantiones vernacula lingua decantari solitæ sint Luthero superstite; apponam earum catalogum e bibliothecæ Gothanæ libro musico authentico, eo tempore scripto, quo Lutherus apud Joannis Friderici, Saxoniz Electoris, aulam non raro condicionabatur. Liber hunc titulum præfert: *Hic cantionum ecclesiasticus liber ab illustrissimo Principe Saxonum, sacrique Romani Imperii Electore, D. Joanne Friderico, in hujus arcis novum sacellum comparatus est, ab Joanne Gewalthero, earundem ecclesiasticarum cantionum moderatore; conscri-*

*ptus Anno ab orbe redempto millesimo,
quingentesimo, quadragesimo quinto,
mense Julio.*

*Si nescis Christum & vincis Ari-
ona cantu :*

Debetur Musis gloria nulla tuis.

Continet autem hic Manuscriptus,
præter multas cantiones Lati-
nas, etiam Germanicas non
paucas hoc ordine :

NUN bitten wir den heiligen Geist.

Wir glauben all an einen Gott.

Jesus Christus unser Heyland.

Nun komm der Heyden Heyland.

Mitten wir im Leben sind.

Es spricht der Unweisen Mund wohl.

Ein Kindelein so lobelich.

Joseph lieber Joseph mein.

Mit Fried und Freud.

Komm heiliger Geist.

Erhalt uns Herr.

Vater unser im Himmelreich.

Nun freut euch lieben Christen gemein.

Ein feste burg ist unser Gott.

Christ lag in Todes-Banden.

Christ ist erstanden.

Es wolt uns Gott genädig seyn.

Dein armer Hauff.

Ach Gott vom Himmel sieh darein.

Erbarm dich Mein O Herre Gott.

Mensch wiltu leben seliglich.

Aus tieffer Noth schrey ich zu dir.

Wohl dem der in Gottesfurcht steht.

Frölich wollen wir Hallelujah singen.

Herr Christ der einig Gottes Sohn.

Wär Gott nicht mit uns diese Zeit.

Wo Gott der Herr nicht bey uns hält.

Dis sind die heiligen Zehn Gebot.

In Gottes Nahmen scheiden wir.

Nan laßt uns den Leib begraben.

Christ unser Herr zum Jordan kam.

Gott der Vater wohn uns bey.

Gott sey gelobet.

Komm Gott Schöpffer heiliger Geist.

Christum wir sollen loben schon.

Gelobet seystu Jesu Christ.

In dulci Jubilo.

*Die teutsche Passion auf den Palm-Son-
tag.*

*Die ander teutsche Passion auf folgenden
Freitag der Marter-Woche.*

ORATIO PANEGYRICA
DE

Mixta Hæreticorum,

IN

Disseminandis, Introducendis ac Propagandis
Erroneis suis Dogmatibus ac Ritibus
Novis,

PRUDENTIA:

Quam ex Probatissimis Historiis Ecclesiasticis
conscriptit, ac in Publico Florentissimæ

Academiæ Gieslenæ

CONSESSU,

Die *Decembris* XXII. Anni clō DC IIX.

HABUIT

CUNRADUS THEODORICUS,
GEMUNDANUS,

Philosophiæ Moralis Professor Ordinarius,
nec non Pædagogiarcha.

L O N D I N I :

Anno M DCC XX



ORATIO PANEGYRICA.

SI in augusto hoc conventu Academico, *Magnifice D. Rector, Illustrissimi ac Celsissimi Principes, Domini Clementissimi, Amplissimi D. D. Cancelarii, Spectabilis Domine Decane, Reverendi, Consultiss. Experientiss. Clariss. quarumlibet Facultatum Doctores ac Professores celeberrimi, fautores, amici & collega mihi plurimum observandi: tuque hospitem ac auditorum, qui vel honoris, vel amoris, aut moris gratia huc venistis, Corona nobilissima ac lectissima: Si, inquam, in augusto hoc conventu Academico; solenni publicorum honorum ac dignitatum Scholasticarum distributioni destinato, ejusmodi me habere auditores ac spectatores suspicarer, qui rerum in Actu hodierno peragendarum vel profus ignari, vel sceptici earundem contem-*

tores existerent : facile equidem intelligerem, & istiusmodi mihi fuisse domi præmeditandam, atque nunc ex hoc loco publice pronunciamdam orationem, qua & isti de graduum ac honorum Academicorum utilitate plenius edocerentur : hi vero, severa adhibita redargutione, de eximia eorundem dignitate rectius informarentur. Verum enim vero, cum ex omnium, quos quidem intueri mihi hoc in loco licet, animo, non malevolo sed benigno : vultu, non austero, sed alacri : oculis non tetricis, sed intentis : auribus, non flaccidis sed arrectis : gestibus, non inconcinnis, sed compositis, colligere aliter nequeam, quam omnes de ordine nostro judicare recte, sentire præclare, existimare honorifice, neque otiosa hæc aut profana perhibere, quæ hic exhibentur, spectacula : de alio argumenti genere tractando, ne a d. *negotio*, aut illotis, quod aiunt, manibus, ad peragendas cum decoro eas, quæ a veneranda Facultate nostra Philosophica mihi demandatæ sunt partes, accederem, ex tempore deliberare mecum necessarium fore judicavi. In tanta autem rerum, quæ ad dicendum deliberanti objiciebantur, copia ac varietate, ipsa tandem periculosissimorum, in quibus ver-

famur, temporum conditio : deploranda Ecclesiæ afflictissimæ, quam intuemur, facies : venenatissima hæresium multiplicium, quas hinc inde longe lateque serpere, & tantum non grafari, experimur, lues : turbulentissimus totius Europæ, quem videmus, status : quin & miserrima hujus charissimæ ac dulcissimæ patriæ nostræ, quam perpeffi sumus, clades, indignabundum quasi commoverunt : ut de Hæreticorum, qui omnium omnino calamitatum ac miseriarum totius orbis Christiani fons, scaturigo, fax ac tuba semper extiterunt, & etiam nunc existunt, perversissimis ac periculossimis moribus intinuis aliquanto cogitarem, cogitata mente mecum tãcita revolutarem : revoluta pressius examinarem : examinata acerbius deplorarem : & deplorata satis, aliqua saltem ex part in publica hac Panegyri Academica stricdim percensendo enumerarem. Omnia namque & singula execranda Hæreticorum ac nefanda quorumvis temporum actitata, si vel quàm brevissime perstringere vellem, vano ac irritò labore Augiæ perpurgandum stabulum invaderem : usque adeo non ipsa tantum rerum materies, ut copiosissima ita & scele-
 ratissima mihi hic impedimento foret, sed & Actus hujus solemnitas idipsum
 in-

interdiceret, temporis ratio dissuaderet, auditorum conditio prohiberet. Dicam ergo in specie *Damixta hereticorum, qua in perniciosissimis dogmatibus suis persuadendis, ac ritibus novis introducendis, disseminandis & propagandis, uti consuevere, Prudentia.* In qua quidem enumeratione non Orationiam affectabo grandiloquentiam, cujus proprium esse a bene dicendi Magistris didicimus, rem cum verbis, verba cum pedibus, pedes cum affectibus, affectus cum figuris, singula cum omnibus tam apte contemperare, ut res verbis vim, verba pedibus sanguinem, pedes affectibus motum, affectus figuris methodum, singula omnibus decori admirabilem illam speciem imprimant: sed hoc agam, ut Laconicæ brevitatis memor, simplici filo ac plano stylo quæ dicenda dicam, quæ recensenda recenseam; Recensere namque obiter & enumerare eadem leviter sufficiat, verborum autem cincinnis condecorare, pigmentis colorare, verbis amplificare, pudeat, tædeat, pigeat.

Quod dum pro tenuitate mea facio, a vobis, Auditores omnium ordinum Magnifici, Illustrissimi, Nobilissimi, Amplissimi, Spectatissimi, & exoptatissimi, ut clementer ac benevole dicent-

centem audiatis, ea, qua par est, submissione ac reverentia obnixè rogo.

Mixtam vero istam, de qua nobis sermo est, Prudentiam, ut etiam ab Aulicopoliticis, Machiavello inprimis & aliis, speciosè deprædicetur ac superciliose commendetur, non tantum cum veræ Prudentiæ, quam Philosophus *Ethic. l. 6.* descripsit, ratione, sed ipsius etiam SS. Theologiæ veritate e diametro pugnare, nullus, qui vel prima Ethicæ ac Theologiæ tyrocinia cognoverit, tam luscus erit, qui non videat; tam obtusus, qui non intelligat. Cum extra omnem dubitationis aleam, omnibus sanorum metibus illud Comici insculptum judicemus, *Συ*

νεπὸς πρῶτος φέρει τὴν κακουργίαν:
Prudentia ad malitiam non abutitor.

Qui enim, quod scite apud † Stobæum Stob. ser. 3 de Temperantia. Gregorius Theol. monet, *serpentis prudentiam in malis columbinæ sinceritati*

circa bona miscuerit; Is neque prudentiam fieri sinet malignam, nec simplicitatem stolidam. At Deum immortalem, quales hic fallacias, quantas fraudes, quantas machinas; insidias & præstigias quantas, sub ementitæ Prudentiæ pallio artificiosè abscondere, expedire, depromere, ingeniose componere, erudite comere, studiosè expendere, pompose ostendere,

dolose vendere, egregie norunt verus-
tissimi isti Spiritus?

I. Id unum solícite admodum agunt,
Dogmata sua occultant. in hoc studiose ante omnia incum-
bunt, ut dogmata sua non manifeste
proponant, non publice defendant, nec
aperto Marte propugnent, sed arte ad
homines seducendos, quantum quidem
fieri potest, composita, occultent, te-
gant, foveant, moveant. De *Samosa-*
tено (ut specialibus totum hoc quic-
quid est exemplis manifestum redda-

Hist. Eccl. Magd. cent. 3. p. 109. mus) refert Eusebius, quod ad Syno-
dum Antiochenam ad disputationem
accerfitus, ita astuté in respondendo
venenum suum occultarit, ita infidi-
ose dissimularit, ut convinci primis
aliquot synodis & confutari pro me-
rito non potuerit. De *Petro Anacko-*

Epiphan. hares. 40. p. (mibi) 138. *reta*, Gnosticorum & Archonticorum
hæresi infecto, narrat Epiphanius, quod
velut modestus factus ad senectam rur-
sus redierit, afferens secum eandem
veneni ejaculationem occulte, & apud
omnes ignotus, donec postremum ex
verbis, quæ in aures nonnullorum
insufurraverat, talis convictus, excom-
municatus fuerit. De *Manete* vero

Epiphan. hares. 66. p. 340. scribit idem, quod solum Christi no-
men verbis jactando, venenum qui-
dem suum occultet, verum per vari-
Socr. l. 1. c. 20. etatem, dum in medio multorum ver-

setur, decipiat. De *Arto*, hæresiarcha nocentissimo, memorat Socrates, quod quamvis Imperatori Constantino, se cum Concilio Niceno sentire persuassisset, errorem nihilominus suum ex occulto disseminarit. De sectatoribus *Theodoret.* ejusdem Arianis conqueritur Alexander, Episcopus Alexandrinus, piensissimus, nolle ipsos confiteri aperte ea quæ tam nefarie impieque tum docuerint tum fecerint, quorum gratia Ecclesia expulsi sint; sed vel silentio tegere, vel partim sermonibus commentitiis, literis partim veteratorie scriptis obscurare, quo alios dolo deludant, quin & colloquiis, tum probabilitate tum facetiis dicacibus refertis, perniciosam suam doctrinam tanquam velis obtendentes, homines simplices in errorem suum rapiant. De *Leontio* testatur *Theodoret.* Theodoretus, quod tametsi sordibus *lib. 2 c. 24* fuerit Arianae blasphemiae inquinatus, eas tamen callide admodum occultare studuerit. Quod ipsum de Episcopis aliquot Antiochenis, in quorum animis delituit Ariana labe, idem prodito alibi. De *Eunomio* recenset *Mag-* nus ille *Basilus*, quod versute verborum dolum occultans, maliciose ac recte horrendam impietatem asseruerit. *Lib. 1 cap 22 Basil. lib. 2 contra Apoll. Eun. pag. 374 Augusf. lib. 1 contra Pelag*

De *Pelagio* queritando refert *Augustinus*, pater *Augustissimus*, quod non,

veluti promiserit, sine ullo doloso velamine opinionem suam obumbrarit. De Pelagianis vero in communi hunc in modum scriptum reliquit: *Sunt*

Aug. Ep. 105 to. 2 pag. 460 qui *justissime damnatas impietates ad huc liberius defendendas putant. Sunt qui occultius domos penetrant, & quod in aperto jam clamore metuunt, in secreto seminare non quiescunt. Sunt & qui omnino siluerunt magno timore compressi, sed jam in corde retinent, quod ore jam proferre non audent. De aliis eadem aliter alii.*

11 Quamobrem vero dogmata sua tantopere adamata, tam ingeniose adornata, atque pro cœlesti alioquin veritate venditata, tanta prudentiæ suæ fucatæ calliditate occultant? Propter hominum ista metum occultant, tenebriones illi, quos nondum suis satis aduetos habent novitatibus. Ita omnibus verbis insidiosè utantur, quæ quidem sua sunt tacent, ut ne inexercitatis auribus allapsi, sibi ipsis fidem derogent, & ut agre admittantur ef-

Basil. lib. 3 contra Arianos pag. 308 Epiphanius hæres. 13 p. 405 ficiant, quod de Eunomio olim queritabatur Basiliius; itemque expressius multo de Arianis his verbis Epiphanius. Quod scilicet non amplius velut cum pudore aut cum dubio sermone veluti de filio perfectam creaturam ipsum dicere vereantur, eti-

amfi sic de ipfo sentiant, & *propter hominum metum* similem effentia inferant, & creaturam, non ut unam ex creaturis dicant.

Propter temporis occultant occasiones & calamitates; propter nonnullos ex Orthodoxis hypocritas; propter dextram regiam; propter honores, dignitates, adeoque proprium thronum, ne illis excidant; plurimaque impedimenta alia, quæ pluribus iterum de Semiarianis variisque eorundem ac diversis sectis, nec non Eutychio Eleutheropolita & aliis pluribus Palestinæ, Epiphanius cumulando enumerat.

Propter Principes ac Magnates occultant, quos nondum satis suis blasphemiiis addictos & pravis opinionibus imbutos habent, quo nomine Aëtius, referente Epiphanio, Arianos coram Constantio Imperatore, qui Aëtianos tanquam crassos Arianos (qui Filium Dei creaturam dicerent) tolerare volebat, palam constringebat. *Qualiter isti habent, inquit, Ego habeo; velut etiam ipsi omnes. Sed quod in me verum est, ipsi occultant: & quod ego clare ostendo ac confiteor: hi omnes eadem dicunt.* Occultabant autem hæc, addit *ibid.* Epiphanius, quum Rex non adversaretur Arianæ fabulæ, sed pium sane se esse putaret. Nam creaturam

Epiphan. hares. 73

3

Ibid. 76
p. 439

confiteri filium Dei recusabat, atque indignabundus in exilium misit Aëtium,

4

Propter denique blasphemiae a-
pertae declinationem occultant, quam
tamen & mente improba fovent, &
lingua volubili movent, ut non im-

*Basil. l. 1.
com. Apol.
Eunom.
p. 36*

merito hic ipsis illud Basilii adversus
Eunomium exclamando objicere possi-
mus. *O impudentem & improbam blas-
phemiam! O occultum dolum! Variam
ac fraudulentam malitiam! Quam
exacte ex ipsis Diaboli infidiis lo-
quuntur, salutaris fidei nomina occul-
tantes, vana blasphemiae dogmata tra-
dunt, quo impietate in rebus denudata,
ipsi quidem nihil blasphemii dixisse vi-
deantur.*

III

*Occultant
ad tempus
& com-
modiores
occassiones
expectant*

Cæterum non in perpetuum lati-
tant, non semper mustitant, aut in oc-
cultis saltem antris sibilant; pestifera
istâ viperarum genimida: Sed tantif-
per duntaxat, dum commodiorem na-
cta occasionem, acceptiore vescantur
aura, ubi demum audaci temeritate
venena sua clanculum concepta atque
occultata, pleno ore expirant, plenis
buccis evomunt. Cujus rei evidentif-
sima aliquot experimenta *Semiariani*
nobis reliquerunt: Isti namque in
Synodo Seleuciana dissimilitudinem Fi-
lii ad Patrem, anathemate feriebant
(quæ erat referente Epiphanio, *frau-*

dulentorum venatorum esca) at post
 Orthodoxorum patrum obitum, *quum*
dilatata esset ipsorum mala opinio, etiam
cum loquendi fiducia ex hac haeresi
sunt propter carnis dextram, & dum
non amplius impediuntur, palam, quæ
 verba sunt Epiphani, *ipsorum aggress-* Epiphan.
ionem prædicant, non amplius neque haeres. 73
 pudore, neque aliquo præcepto coerciti. p. 418
 Similiter in Concilio Sardicensi Epi- Socr. l. 2
 scopi Orientis (Ariani) in conspectum c. 16
 Episcoporum Occidentem incolentium
 venire, cum iisdemque nisi Athana-
 sius e medio prius conventu, expel-
 leretur, colloqui renuebant. Occiden-
 talibus vero, quod citra præsentissi-
 mum veritatis orthodoxæ discrimen ini-
 quo hoc Orientalium postulato acqui-
 escere non possent, mascule ipsis re-
 sistentibus, confestim discedunt, Philip-
 popoli in Thracia privatim inter se
 concilium constituunt: de cætero a-
 perte verbum *consubstantiale* anathe-
 mate feriunt: opinionemque, *quod*
Filius patri dissimilis esset, per literas
 scriptas, ubique disseminare cœperunt.
 Quid quod eousque eorum accrevit
 temeraria audacia, ut & in Synodo
 Antiochena verbum SIMILE ex for-
 mula Constantinopolitana prorsus exi-
 mendum statuerint, & palam Filium
 Patri non solum substantia, sed &

voluntate dissimilem esse asseruerint? Eandem temeritatem & in *Noeto* animadvertere libet. Is enim quod Patrem passum esse publice docere ausus fuisset, ab Ecclesiæ Presbyteris accitus & examinatus, primum quidem istam a se prolatam blasphemiam negabat: postea vero ex rabie, quam in alios quosdam habebat, in majorem temeritatem elatus ac audax factus, palam deinceps hæresin istam docuit, ac perfricta fronte contradixit. De clandestini Presbyteri Ariani periculosissimis insidiis quid dicemus? qui in summo apud Imperatorem Constantinum (cui a Constantia sorore jam jam moritura diligenter commendatus erat) honore habitus, erroris tamen atque pravitatis suæ morbum, quo laborabat, eo quod Imperatoris animum de Religionis doctrina plus justo fatis confirmatum animadverteret, aperire ei ausus non fuit, sed insidiosè eoque occultavit, donec Constantinus ad immortale regnum migrasset, & Imperium hoc caducum filiis Testamento, quod Presbytero, ut Constantio traderetur, concrediderat, distribuisset. Ea namque ratione Constantio perfamiliaris factus, ubi inconstantem ejus mentem, eamque non aliter atque arundinem a ventis contrariis huc & illuc fa-

*Epiphan.
hæres. 37
p. 226*

*Theod. 1.2
bist. c. 3*

facile flecti animadverteret, sensim ac sensim virus suum diu occultatum dispersit ac confidenti tandem animo bellum contra doctrinam Evangelicam ciere cœpit. De *Eudoxio* Ariano quid referemus? memoranda, & hæreticis nostris vulpinas ejusdem astutias, nec non leoninas fraudes hodie feliciter experimentibus, apprime convenientia dicemus. Sana namque & sincera plebis fide perspecta, Imperatoris etiam contra eos, qui unigenitum Dei filium conditum dicerent, odio illecto, admonuisse Eunomium dicitur, ut suam opinionem occultaret, eamque minime aperiret illis, qui causam ad accusandum ipsum sedulo aucupabantur. *Nam* ^{Theodor.} *tempus, inquit, opportunum nasti ea* ^{l. 2 c. 29} *prædicabimus, quæ nunc silentio tegimus!* Cui admonitioni Eunomius morem gerens, eo tandem evertus est, ut *blasphemiam antea sub dentibus* ^{l. 1 contra} *blateratum* (Basilii de ipso verba re- ^{Apol. Ean.} *fero*) *splendido postea opere suo pub-* ^{p. 306} *licarit, Princeps ac Præses totius hæresis appellari cupiens.* Nil jam memorabimus de Justinæ Valentiniani Magni conjugis, Junioris vero matris, illecebris: quæ fidei ardore mariti sui cognito, toto, quo ille vixit, tempore Arianæ doctrinæ semina occultare studuit: animum vero filii sui

flexibilem & mollem admodum cernens, errorem in mente sua delitescentem, audacius tandem, Theodoreto teste, protulit. Nil de Juliani nefandi illius Apostatæ nefandis imposturis : Nil de Eusebii Episcopi Nicomediensis astutiis. De Theognidis Niceæ Episcopi technis. De aliorum etiam quamplurimorum nocentissimis dolis. Quorum historiam qui cognoscere cupiet, annales Ecclesiasticos Socratis, Theodoretii & aliorum consulat.

Socr. l. 3
c. 1, 2, 9
Theod. 5
c. 3

IV.
Quomodo
occasione
bus du-
dum ex-
pectatis,
tandem
oblatis u-
tantur

I
Eos qui
apud Prin-
cipes plu-
rimum
possunt
maxime
ad partes
suas per-
trahunt,
& per hos
ipsum etiam
Principes
seducunt
Epiphani-
hæres. 40
p. 138 &
73 p. 425

Hoc nobis interim attendendum, ex aliisque exemplis discendum, quasnam pro ingenitæ suæ prudentiæ mixtæ acumine, non solum occasiones captent, verum etiam qua ratione jam captatis prudenter utantur. Si quidem & hoc hæretico pietatis (pravitatis dicere debemus) nequaquam postremum est artificium. Id igitur hic agunt potissimum, ut qui apud Principes & Magnates possunt plurimum omnium maxime ad suas, quibuscunque valent modis, partes pertrahant. Cujus artificiosæ prudentiæ ratio haud obscura est : quippe, quibus ita inescatis, atque in massam suam traductis, nullo facile negotio tum ipsos Dynastas, tum inferioris quoque ordinis homines, sibi conciliare, ad hæreses suas pedetentim inclinare, ipsorumque in

harum propagatione operam commode
 usurpare norunt. Quo fine, vel cum
 Petro Anachoreta, Archonticorum hæ-
 resi addicto, viros ordinis Senatorii
 spectabiles & illustres alios tentant :
 vel cum Eudoxio amicitiam præemi-
 nentis potestatis sibi conciliant : vel
 cum Marco hæretico, cujus Irenæus
 meminit, seducendis mulleribus purpu-
 ratis potissimum ac ditissimis vacant :
 vel cum Ariano Presbytero in aula
 Constantini Eunuchorum, cubiculari-
 orum, satellitum, ac eorum in pri-
 mis, qui principibus a latere sunt ;
 quibus rerum in palatio administran-
 darum cura est imposita, familiarita-
 tem & notitiam, quibuscunque modo
 lenociniis possunt, affectant : per istos
 partim mulierculas Gynæcæi opinione
 sua infatuant, quarum illecebris, ipsis
 etiam Imperatricibus venena sua clam
 instillant, partim ipsos etiam Reges
 ac Principes sensim aggrediuntur, &
 quacunque norunt subtilitate ac im-
 postura animos illorum illiniunt, gra-
 tiam ambiunt, clementiam expetunt,
 causæque suæ morbida, pulchre ta-
 men incrustata, affabre pictæ & effi-
 ctæ, patrocinium quoquo modo quæ-
 runt. Quibus illectis & occupatis non
 solum universam Regiam, sed & vi-
 sos & pagos, sed & urbes ac am-

plissima oppida, sed & regiones & vastissima regna, invadunt, concutiunt, inficiunt. Lege de his si dubitas Socratem: Consule Theodoretum: vide Eusebium: Confer Epiphanium. Disperem, nisi omnia isthac in aulis Imperatorum Constantini, Constantii, Valentiniani, Valentis & aliorum ad unguem ita ab hæreticis intentata, & feliciori, quam par erat, successu in effectum producta fuisse deprehendes. Vera, non ficta; indubitata non excogitata: Probabilia, non plausibilia memorare me. Sole meridiano clarius vel cæco apparebit, ubi prædictum Presbyterum Arianum, eximium illum artis hujus veteratoris Magistrum, in publici theatri scenam ab inferis quasi revocatum non meis sed Socratis verbis scite admodum coloratum & degantatum produxero. Oculorum aciem huc dirigite: auribus erectis assistite, & quid Socrates dicat, mente recon-

Soc. l. 2 c. 2 dite: *Cum ob Testamentum, dicit, conceditum ac traditum, Constantius novus Orientis Imperator multum ipsi libertatis tribueret, liberamque in regiam ingrediendi, quandocumq; libaret, potestatem permitteret, libertas illa tum ad Uxoris Imperatoris, tum ad Eunuchorum ejus familiaritatem aditum ipsi cito patefecit. Erat eodem tempore Eunuchus quidam Eusebius,*

primarius Imperatoris cubicularius, qui cum Presbyteri persuasum perversa Aarii opinionem assentiretur, reliquos Eunuchos in eandem induxit sententiam. Quin etiam Imperatoris conjux Eunuchorum & Presbyteri hortatu ac consilio in Aarii errorem prolapsa est, paulo post Imperator ipse rem in questionem vocavit, pedetentim passim vagari cepit. Ac primum inter Satellites, qui palatium frequentabant, deinde per multitudinis animos que urbem incolebat pervadere. De opinione illa in ipsa Regia cubicularii Imperatoris cum mulierculis digladiantur, in singulis urbis familiis litigiosa differendi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias provincias & civitates celeriter permanavit. Hæc Socrates. Ecquid videtur vobis Auditores de artificis hujus versutissimi versutissima prudentia? ecquod Satan versutissimus & ipse alioquin Spiritus, mille artifex, aptius potuisset ad artem suam affatim suscipiendam atque exercendam excogitare instrumentum? Nullum profecto arbitror: Nullum. Desideratis plura? Desiderare vos eadem vestri in me conjecti oculi, vestri erecti gestus, attentæ aures & mentes vestræ me monere videntur. Et certe plura sponte & lubens proferrem, ni necessario ad

alia mihi properandum scirem. Unum tamen de eodem homine Nequam quin proferam, non est quod intermittam, quo luculentum idem ille insignis Arianæ fabulæ actor Principes invadendi, inescandi, decipiendi, persuadendi, seducendi, &c. nobis specimem exhibet. Inconstanti Constantio quod imposuit, artis non fuit. Arundo enim inconstantissima fuit. At vere constanti Constantino Magno quod persuadere potuit, hoc demum Arianæ artis opus fuit. Imperator enim pietissimus, ac religiosissimus fuit. Ecquid ergo persuasit? Persuasit Arium non in alia, quàm quæ a Concilio fuisset

Soc. l. 1 c. 19, 20, 23
25 Niceno approbata, esse sententia: & si in conspectum Imperatoris venire permetteretur, decretis ejusdem plane assensurum. Qua nequissima sua persuasione ita Imperatorem optimum commovit, ut non solum literis vocatum atque publico curru accersitum Arium in conspectum suum atque colloquium admitteret: Verum etiam admissum & auditum, oratione ejusdem fucata persuasus, subscriptione simulata deceptus, perjurio insuper nefando illusus, cum Concilio Niceno sentire crederet, quin & Athanasium, impias has fraudes animadvertentem, cum in Arij receptionem consentire

nollet, in durissimum exilium cum indignatione conjiceret. Hic erat actus istius fabulæ! hæc mixta Presbyteri maleferiati cum sociennibus suis prudentia! Qua ipsa & Eudoxium in Socr. l. 2 c. 29 Theod. l. 1 c. 20 & lib. c. 26 tentandis atque occupandis procerum Aulicorum animis insigniter excelluisse: Eusebium vero Nicomediensem ipsum etiam Imperatorem Constantinum M. miserrime aliquoties circumvenisse, Socrates & Theodor. Histor. Ecclesiasticarum scriptores probatissimi referunt.

Sed nec dum Stropharum prudentiæ hæreticæ finis, Regum namque Principum gratia confisi, primorum aulicorum opera in aliis seducendis utuntur Principum ac Magnatum sic gratiam nacti, in eadem tanquam seculari brachio fortissimo secure confidentes, in hoc deinceps operose inhiant, ut primorum ex Aulicis in sententiam suam pertractorum opera, in seducendis ac persuadendis subditis, auspiciatissima uti frui queant. Causam inquiturus Epiphanius cur Arianorum de- Epiphani. hæres. 69 p. 348 testanda atque blasphema hæresis, tam longe lateque serpens, totius fere orbis, in primis vero Orientalis Ecclesias florentissimas invaserit, concussisset, vastaverit: *διαπρόδον καὶ συντόμως* hanc reddit, eamque gemisam. *Nemo est horum causa, inquit, quam primum quidem fidelium probatio: Re-*

gum vero, defensio. Per Regis præfecturam aggressi sunt blasphemii isti (loquitur de Arianis) omnia mala, quæ facta sunt, & quæ adhuc per ipsos fiunt, per præsentis ipsorum Regis præsentiam ac gubernationem. Ita

Theodor.

l. 1 c. 16

Modestus Imperatoris Valentis præfectus, blandissima oratione Edessenis, quanquam irritò conatu, ut legibus Imperatoris morem gererent, persuadere conabatur. Extremæ siquidem dementiæ esse dicebat, ut pauci homines Imperatori, tam multis præpotentibusque viris imperanti, resisterent. *Multa, addens, verba feci, quò vos ad ea quæ sint vobis emolumento futura cohortarer.* Ejusdem Imperatoris Comes provincialium largitionum nomine *Magnus*, cum Alexandrinos ad Arianam fidem amplectendam sollicitaret, quam suaviter ipsis præcinebat? quæ verborum mellitissimorum lenocinia in persuasionibus suis non adhibebat? Valentem Augustum Imperatorem clementissimum, vehementer hac de re delectatum iri affirmabat, doctrinam ipsius humiliter approbantibus pecunias ac opes largas promittebat, Imperatoriam gratiam pollicebatur, honores summos stipulabatur, & nihil non operose moliebatur, ut inficiis, tragulam injicere, & blande

lib. 4 c. 20

inescotos in transfennam suam dolose inducere posset. Quam leni item & blanda oratione idem *Modestus* præfectus Basiliam, nomine reque Magnam, Cæsareæ honorifice exceptum compellarit, & ut tempori cederet, neque propter nimis curiosam dogmatum observationem eamque parvo æstimandam, tot tantasque Ecclesias proderet, hortatus fuerit, & Imperatoris si morem dicto gesserit, amicitiam se ei conciliaturum promiserit, beneficiæque multis aliis inde eventura de prædicaverit, pluribus Theodoretum in hist. Ecclesiast. scriptum reliquisse me- *Theodoret.*
 minimus. Quæ ad unum tamen o- *l. 4 c. 17*
 mnia divinus ille vir, ne unius quidem hili nedum pili æstimans, memorando heroicæ constantiæ exemplo, pueris, respondit, *hæc quidem oratio convenit: at qui in sacris educati sunt literis, ne unam quidem divinarum dogmatum syllabam prædi sinunt, sed pro ipsorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur. Quod ad Imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate conjunctam magni æstimo: Sed si ea careat, perniciosam esse dico.* Hæc religiose & animose fatis Magnus Basilius.

Verum ubi sic ex voto sua sibi non feliciter adeo succedere animadvertunt,

3
 Orthodoxos non statim ad principum numerum veritatem abnegantes calumniis proscindunt, & seditionis arguunt, &c.

aliam quercum excutiunt, alium arietem obijciunt, & pugnis quod dicitur calcibusque feriunt. Ista enim Politicorum pronunciata, qui ex Orthodoxis cum Basilio non statim proni adorant, sed veritatem Dei plurisquam gratiam & favorem hominum quantumvis potentum æstimant. Vah! quam indignis tractantur modis! quibus proscinduntur convitiis! nominibus odiosis notantur, criminibus exosis onerantur, accusationibus calumniosis gravantur: viis periculosis aliis implicantur: Magistratus audiunt contemptores, concordiaæ osores, pacis violatores, tranquillitatis turbatores, seditionis authores: & quid non?

Theodoret. l. 2 c. 16
 l. 2 c. 26

te Liberio Episcopo Romano, Confessori vere liberrimo, Constantius Imperator, quod solus pacem orbis dirimere audeat, objectabat. Basilium Gelatiæ Episcopum tanquam procella in Ecclesiis abortiva authorem, tacere idem Constantius Imperator mandabat.

Greg. Nys. in vita Basilii M. 750

Eundem Modestus Valentis præfectus audacia & temeritatis, quod solus Imperatori resisteret, immodeste reum agebat. Presbyter Arianus, exquisitissimus iste nequam, quam iniquo, imo Satanico ausu tempestatum in Ecclesiis tum temporis subortarum, eos qui vocem ὁμοῦσιον, minime in scripturis repertam,

doctrinæ Fidei adiecissent, apud Constantium Imperatorem, etiam simulate profusis lachrymis, auctores infimulabat, eoque ipso periculosissima discordiarum semina inter Sacerdotes & Laicos dispergebat? Quam odiose B. Augustino & suis Petilianus Donatista objiciebat: *Vos pacem scelere fingitis, & bello unitatem quaritis?* Cui cordate tamen Augustinus respondit; *Non pacem scelere fingimus; sed* August. *pacem ex Evangelio predicamus, cum* l. 2. contra lit. Petil. c. 68 *quo si pacem habueritis & nobiscum habebitis. Nos autem si vobis potius quam Christo crederemus, pacifici essemus. Quia Christo potius quam vobis credimus, pacem scelere fingimus. Et hac cum dicatis & faciatis, audetis insuper commemorare, Beati pacifici! Athanasius, inexpugnabile illud veritatis propugnaculum, quoties reus agebatur turbatæ pacis? quoties mortæ seditionis? quoties læsæ Cæsareæ Majestatis? Taceo odiosa nomina & exosa crimina sanctis quam plurimis objecta plura alia.* Socr. l. 2 c. 11 & l. 3 c. 3

Quibus nequissimi hæresum ac calumniarum architecti in nullum finem alium Orthodoxos falso onerant, quam ut eosdem non solum apud Magnates & Principes, quos suis sibi conciliatos artibus & suis sibi addictos habent pet-

4
Orthodoxos variis criminibus oneratos sedibusque suis motos

*in exili-
um mit-
tunt*

versis dogmatibus, in odium pertrahant, sed & sedibus suis motos propellant, in exilium mittant, ipsique soli regnum deinceps obtineant, pro libitu Ecclesias fidei Pastoribus privent, Scholas præceptoribus orbent, ordinem bene constitutum turbent, nemineque inclamante ac repugnante τὸν ὑποκρι-
μὸν, tam in dogmatibus quam ritibus Ecclesiasticis ordinent, propagent, propugnent. Hæc scilicet ista est, pro qua tantopere dimicant, adamata & adornata Helena. Optimus ille ac sanctissimus *Athanasius*, ita integer vitæ scelerisque purus, ut nemini cederet, tam mirandis iisque plane confictis criminibus, falsis etiam ad ea confirmanda subornatis testibus ab Arianis fuit obrutus, ut ab Episcopatus dignitate non tantum deturbaretur, sed & præter omne suum meritum, solis Arianorum impudentissimis mendaciis, quorum publice etiam cum sempiterna ignominia convincebantur, Imperatoria auctoritate in exilium mitteretur. Quorsum vero de Athanasio per insidias & dignitatis Episcopalis gradu deturbando ejiciendoque tam anxie & tumultuose Arianae facis complices laborarunt? *Oedipo* divinatore hic opus non est, causam luculenter aperuit *Socrates*. *Eusebius* ait, in hoc toto pectore incu-

*Vide de
his mira-
bis mira
apud So-
cratem,
l. 1 c. 20
21, 22, 23.
Theod. l. 1
c. 26, 27,
28, 29, 30*

*Socr. l. 1
c. 18*

buit, ut Arium Alexandriam reduceret. Nam eo pacto solum ratam de omni fide ab Ecclesia exturbare, & pestiferam Arii doctrinam introducere se posse putavit. Sic enim sperabat fore

Ἀθανασίῳ ἐκ ποδῶν γενομένῳ, μόρος τὴν Ἀρειανὴν δέξασθαι κρατῆσαι: Athanasio, tanquam fidei ac acerrimo sincerioris doctrinae custode ac vindice, ex pedibus remoto, Arianam opinionem primas obtenturam ac impune regnaturam esse.

Quid posset dici manifestius? quid luculentius? quid illustrius? unum hoc illustre inter tot & tanta, quae adduci possent, hæreticæ nequitiae (prudentiæ dicere volebam) exemplum sufficeret, ni plura etiam alia suppetere. Sic Episcopi factionis Arianæ Socrat. l. 2 c. 30 edictis Imperatoris (Constantii) elati, multo audacius res moliri cœpere. Maximum Episcopum Hierosolymitanum exturbarunt: Cyrillum (ipsis deditum) in ejus locum substituerunt. Sic Macedonius provincias & urbes Theod. l. 1 c. 8 Constantinopoli finitimas, Ministris sui instituti contra Ecclesias suffectis, evertere conatus est. Sic Clandestini Ariani opiniones quasdam damnaverant, quas primum ex occulto, deinde palam propugnare variisque argumentis fallaciter roborare cœperunt. Cum vero constituerent Zizaniorum

plantas altius in hominum animis & firmitus inferere, metuebant tamen eos quibus errorem suum deprehendi posse putabant; eosque sedulo vitabant: qua causa inducti pietatis præcones expugnare conabantur, & adulterina ac falsa doctrina supposita, veræ sinceræque doctrinæ patronos de honoris gradibus deturbare moliebantur. Sic gentiles sub Juliano Apostata idem ob eandem causam in Athanasium attentabant, hoc ingeminantes:

Thodoret.
l. 3 c. 8

Si, Athanasius Alexandriae maneat, neminem gentilem mansurum. Eum enim omnes ad suum cœtum suasu adducturum. Cui postulato iniquo inique Julianus assentiens, truculentum hoc mandatum dedit, ut Athanasius non solum patria, sed & vita privaretur.

l. 4 c. 15

Taceo Tyrannicas *Lucii* Ariani Episcopi machinationes, quibus subdole Magistratibus non tantum persuasit, ut complures sacris initiatos in exilium mitterent: sed & ipse eos potissimum, qui sanctam divinamque propugnabant doctrinam, ad ultimas Imperii Romani oras relegavit. Prætereo insidias infensissimas Magno illi *Basilio* ab hæreticis, qui nudam etiam ipsius vocem, veluti Gregorius

Greg. Ep.
32 ad
Basilium.

Theologus loquitur, *prebendere querant,* quo ab Ecclesia depelleretur,

frequentissime structas. Quid enim pluribus verbis opus? Conqueritur de hac immanitate ipse Athanasius.

Quid boni, inquit, Episcopi erant, & Theodor. fidi veritatis præcones, sedibus patriis l. 2 c. 15 sunt abrepti, inque exilium acti, nulla alia de causa culpave contra illos allata, quam quod hæresi Ariana consentire, & calumniis eorum ac falsis criminibus, quæ contra nos confinxerant, subscribere noluerunt.

Cæterum nec sic dum acquiescunt irrequieti Spiritus, sed ulterius, quam deterius multo, impietate sua procedunt. In Orthodoxorum cum ⁵ *In Ortho-* ma- *doxorum* gno Ecclesiæ luctu & extremo detri- *locum* mento ejectorum locum, nulla plane *prava fi-* vel perexigua admodum legitimæ voca- *dei & vi-* tionis ratione habita, non solum ejus- *ta homi-* modi sufficiunt focios, quos suis ha- *nes suffi-* beant addictos opinionibus, sed plerun- *ciunt* que pravis in vita moribus præditos, modo infami aliqua labe notatos: modo ob facinora quæpiam ab Ecclesia excommunicatos: modo ob scelera perpetrata scopis quasi cæcos in exilium ablegatos: *modo seculo obstrictos: modo Neophytos: modo Apostatas nostras, Ec-* *clesiis, veluti Tertullianus conqueritur, obtrudunt, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nulla hic eruditio spectatur; nulla docendi facultas*

consideratur : nulla fidei & vitæ pro-
bitas examinatur : *Nusquam* enim,
quod scite iterum de hæreticis sui tem-
poris Tertullianus, *citius proficitur,*
quam in castris hæreticorum, ubi ipsum
allic esse, promereri est. Nimirum hos
& similes eo audaciores libidinis suæ in
corrumpendis fidei capitibus, depravan-
dis consuetis Ecclesiæ locutionibus, sub-
ruendis bene ordinatis ritibus, decipi-
endis & seducendis simplicibus, servos
sefe habere posse sciunt. Veniam hic
mihi detis velim (auditores Illustrissimi,
Spectatissimi, &c.) non possum enim
quin vestra hoc in loco humanitate lar-
giter abutar, & de Arianorum Episcopis
atque Presbyteris vitiosis, in locum fi-
dorum pastorum ejectorum, Ecclesiis vi-
olenter obtrusis, memoranda quæpiam,
nostro tempori congruentia, è Basilio
Magno & Gregorio Nazianzen. antequam
finem faciam, enumerem. *Theologus*
quilibet est, (verba sunt Basilii, Eccle-
siarum sui temporis statum deplorantis)
qui vel innumeris maculis animam nota-
tam habet. Hinc novatoribus rerum
multa seditiosorum copia accedit. Pro-
inde per se electi, & principatus affe-
ctatores, Ecclesiarum gubernationes sor-
tiuntur, administratione Spiritus sancti
propulsata. Et cum Evangelici ritus,
jam penitus, sublato rerum ordine, sine

Basil. lib.
de Sp. S.
c. 30

*confusi, inexplicabilis eruptio est ad præ-
 fecturas, dum singuli qui seipsos designant
 ac ingerunt, insuper cogunt, ut ad præ-
 fecturas assumantur. Et Eusebio Epi-
 scopo Samosatensium constantissimo scri-
 bens, Ad infelices, inquit, homines, ser-^{Epist. 8}
 vos servorum, Episcopatus nomen nunc _{p 632}
 devenit, nemine ex servis Dei aut repu-
 diatis seipsum contra inducere volente.
 Quales sunt, qui nunc immissi sunt ab
 Anyso & Eudicio Parnasseno, quem qui
 Ecclesius præfecit, malum sibi ipsi futura
 vita viaticum immisit. Hi nunc fratrem
 meum ex Nyssa, pergit Basilius, expule-
 runt, & pro eo induxerunt virum, imo
 mancipium potius, paucis obolis dignum,
 fidei vero corruptorem, similem his, qui
 ipsum præfecerunt, hominem perniciosum,
 pupillorum famulum a Dominis suis fugi-
 tivum (notate bene, fidei corruptorem,
 hominem perniciosum, fugitivum) propter
 impie muliercula blanditias, qua prius
 quidem Georgio ad propriam voluntatem
 usu erat: Nunc vero hunc habebat, suc-
 cessorem illius miserunt, miserabile Epi-
 scopatus nomen contumelia afficientes. At
 vero Nicopolitarum res, quis digno luctu
 prosequi possit? Misero illo Phortone pri-
 mum quidem veritatis patrocintum quam
 maxime fingente. Postremum vero turpiter
 & fidem & seipsum prodente, & proditi-
 onis mercedem accipiente, ipsam videlicet
 igno-*

ignominia notam. Suscepit equidem ab
 ipsis episcopatus dignitatem, velut putat :
 factus autem est per Dei gratiam commu-
 nis abominatio totius Armeniae. Et alibi
 eandem querelam iterat : Hi sunt lusius,
 qui contra Ecclesias Dei luduntur ab his,
 qui ad suam utilitatem calumnias struere
 hominibus, & rursus commendare eosdem
 conantur. Basilidæ Paphlagonis altaria
 evertit in Paphlagoniam profectus Eusta-
 thius, & in propriis mensis ministerium
 sacrorum perficiebat. Et nunc supplex est
 Basilidæ, ut suscipiatur. " Nobis autem
 " calumniae struuntur, non quia nos ali-
 " quid injuriæ facimus, sed quia hoc sibi
 " utile fore putant." Porro quos anno
 superiore ex Galatia accersiverunt, velut
 per ipsos potentes, Episcopatus facultatem
 recuperare, tales sunt, quales noverunt hi,
 qui vel modice ipsis conversati sunt. " Mibi
 " vero nunquam tantum otii praebeat Do-
 " minus, ut ipsorum facta (malefacta) re-
 " censeam. Introducti sunt (aures arrigite)
 " splendide in urbem, & concionati sunt
 " cum authoritate, traditus est ipsis popu-
 " lus, altaria tradita : " Qui usq; ad Ni-
 copolim progressi nihil potuissent eorum,
 quæ promiserant, præstare. Quomodo re-
 versi sint, & quomodo in reditu excepti,
 norunt qui presentes fuerunt. Hæc &
 alia Basilii. Sed & Gregorii Nazianzeni
 querelas etiam audiamus. Non ex virtute,

Greg. orat.
 funeb. in
 Basilium
 Magnum

ait, magis quam malitia oritur praesidentia, neque digniorum, sed potentiorum sunt throni. Cathedra etiam sine ullo acquiritur labore, non secus ac cum fabula Gigantes fingunt, unius diei sanctos facimus, & sapientes esse jubemus eos, qui nulla praediti sunt sapientia, & qui nil ad gradum, praeterquam velle afferunt, πειν καὶ θάρηται
καθαίρουσι, χθὲς ἱερόσυλοι, καὶ σήμερον ἱερεῖς,
χθὲς τῶν ἀγίων ἕξω καὶ μωσαγωγοὶ σήμερον ὧ
Παλαιοὶ μὴ κακίαν, καὶ ῥέλοι τὴν δόξην αὐτῶν.

Priusquam purgentur purgant heri sacri-
legi, hodie sacerdotes : heri sacrorum ex-
pertes, hodie in sacris duces : in malitia
veteres, at in pietate tenues. Item : Non
sacerdotes quarunt, sed Rhetores, neque
sacerdotes puros, sed adjutores fortes.

*Id. orat. in
S. Atha-
nassium.
In presen-
tia 150
Episcopo-
rum ba-
bita.
Socr. l. 1*

Tantum & Gregorius. Rectissime omnia.
Sic namque ob crimina intentata Atha-
nasio, ad summum Episcopatus gradum
ejectus ab Arianis nequissimus *Arsenius* :

*Idem
l. 1 c. 20*

Sic ejusdem potiundi eandem ob causam
certissima spes facta *Ischyrae*, homini fa-
cinorosissimo. Sic Presbyterii Antiocheni
dignitas collata *Leontio*, ex eodem ante
ob adulescentulae turpem consuetudinem
ejecto. Sic in eodem ab ipso *Leontio*,

*Idem
l. 1 c. 21*

(quia nimirum *similes habent labra la-
eticas*) tolerati *Stephanus* & *Placitus*,
homines omnium, quos Sol vidit, aer
afflavit, terra sustinuit, bipedum nequis-
simi, sceleratissimi, libidinosissimi.

*Theodoret.
l. 2 c. 24*

Sed, quonam nimia dicendi intemperie surripior? In illo stadio jam verfor, quod perangustis inclusum regionibus, non finet orationem veluti equum excurrere libere, & ad metam præfinito redire. Contineor quasi contractis habenis intra circum, ut in his & stadii & temporis angustis, plurimum, imo plura multo quam fortassis par erat, dixisse videar. Animus equidem fuisset in hujus argumenti campum exspatiari latius, & particularia nonnulla de nycticoracum horum in divinis divino, si Diis placet, acumine interspergere, quo tremenda articulorum fidei mysteria, quæ ὑπὲρ τὴν γῆν, ὑπὲρ τὴν φύσιν, καὶ ὑπὲρ τὴν κατάληψιν, Justino teste, posita, ingeniose, sed tamen superciliose & malitiose examinant, hocque agunt, ut vel non credendo intelligant, quod fidelibus alicubi B. Augustin. faciendum monet, sed intelligendo

Epiphan. hares. 75. p. 457. 459 credant: vel in supernis cum Aëtio ex sapientia mundi infatuata ambulare contentur, & apiniones contra Deum ex Syllogismis & mentis suæ ratiocinatione perscrutantur: ex syllogisticis nomenclaturis

Epiphan. hares. 80 p. 810 Athanas. in epist. synod. de fid. ad Favian. Imp. humana intelligentia Deum comprehendere valentes, & velut ex dictionibus evidentis fidei firmam spem mutilare conantes: vel cum Sataniânis pro stultitia sua, Consiliario intelligentia sua utantur: vel cum amentibus Arianis semper probabilitate

*sermonis, & pugnaci oratione fidem in-Theodore.
 vertere divinam attentent: vel cum iis* ^{l. 4 c. 3}
*dem relinquunt Apostolum, sequantur A-
 ristotelem: relinquunt sapientiam quæ ex
 Deo est, & disputationes tendiculas &
 aucupia verborum eligant: vel iterum* ^{Ambros.}
cum Aëtio eos, qui cum ipsis in collo- ^{serm. 22 in}
quium descenderunt, argutiis suis freti, ^{Psal. 118}
elenchis sophisticis Aristotelicis obstupefa- ^{Socr. l. 2}
ciant. Porphyriani isti & novi Aristotelici ^{c. 28}
*Sophistæ isti vanæ sapientiæ homines, circa
 syllogismos ac ratiocinationes occupati, si-
 bi ipsis dictiones quasdam excogitantes, &
 Deum syllogismis concludere tentantes,
 quomodo Arianos olim Epiphan. indite-* ^{Epiphan.}
gabat: Pepones isti vituperabiles, non viri, ^{hæres. 69}
quo nomine B. Iren. Gnosticos & Valen- ^{pag. 381}
tinum exornabat: Homines isti a fide ^{Iren. l. 1}
*remoti, terrenis dediti, carnalibus occu-
 pati, qui credere aliquid nolunt, nisi ad
 quod sui corporis sensu quinque partita
 perveniunt: In quibus quinque sensibus
 totius voluntatis sibi regulas ponunt. Non,
 " inquires, credo ego, nisi quod video.
 " Ecce quod novi: Ecce quod scio! Al-
 " bum est, nigrum est, rotundum est, qua-
 " dratum est, sic vel sic coloratum est."
 Novi, sentio, teneo, natura ipsa me docet.
 Non cogor credere, quod mihi non potes
 ostendere! quomodo eleganter eosdem &
 vere, vivis quasi coloribus Augustinus o-
 lim obumbrabat. Libuisset etiam infinita* ^{Serm. 32}
de verb. Dom.

alia de infinitis horum hominum, si modo homines appellandi, dolis, technis, mendacijs, strophis, fraudibus, artibus, ex intimo prudentiæ suæ promptuario instructissimo, desumptis percensere, quibus isti varie abutuntur, in populi applausu captando, scripturas pro se citando, nil nisi phrasas ejusdem jactando, orthodoxum antiquitatis consensum prædicando, confessiones orthodoxorum subscriptionibus suis nonnunquam versute tamen & ambigue, approbando, quin & perjuriis detestandis confirmando, fidei controversias fundamentales extenuando, verborum involucris errores suos crassos dissimulando, eosdem quamplurimis mellitis verbis persuadendo, alios largitionibus alliciendo, alios mendacijs dolosis infatuando, alios minis suis perterrefaciendo, alios vi & armis cogendo, alios aliter, sub specioso tamen singularis sanctimonix & religionis zelo, decipiendo, seducendo, & si quæ fuissent sexcenta alia describenda : At per vestram id patientiam, per temporis inopiam, per Actus qui restat copiam non licuisset. Itaque ne vestra in audiendo benignissima clementissimaque attentione abuti videar, unum ubi dixerō, sat me dixisse putabo,

Videtis, Auditores, quorsum isthæc, quæ obiter a me delineata, directa omnia. Nimirum huc spectant, huc adspirant,

ad hunc sibi præfixum scopum collimant, ut mente cognoscatis, oculis videatis, auribus audiatis, manibus palpitatis, hæreses oriri ac grassari, non recens, sed perfrequens esse: hæreticos, varios dolos, miras technas, artificiosas strophas, nocentes fraudes moliri ac machinari, non novum, sed vetustum esse. Quod si ergo tempora temporibus, homines hominibus, acta actibus, fraudes fraudibus, molimina moliminibus, mores moribus, omnia denique omnibus comparaveritis, ac veritatis trutina pensiculando contuleritis: Dispeream si aquam aquæ, lac lacti, ovum ovo, corvum corvo, lupum lupo, vulpeculam vulpeculæ tam similem deprehenderetis, quam nostræ ætatis hæreticos priscis istis similes cognoveritis, quin & juraveritis veterum hæreticorum, Arianorum, Samosatensiorum, Eunomianorum, Eudoxiorum, Nestorianorum & similium portentorum monstra, in nostris revixisse, eorundemque & ingenium, & mores, & fraudes, & artes, & studia, & molimina, ad unum omnia, ad vivum omnia ad unguem omnia repullulasse. Superiorum ætatum exempla hæc indicant: Patrum testimonia comprobant: temporum nostrorum historiæ demonstrant. Patres nostri narraverunt nobis, auribus hisce nostris audivimus, oculis hisce nostris vidimus, in ipsa rei veritate, proh dolor!

expert!

experti sumus. Atq; ô utinam non audi-
 vissemus! ô utinam non vidissemus! ô
 utinam non experti essemus! Manifesta
 interim hæc, non obscura, sunt: in publi-
 co, non in angulo gesta sunt: quin imo
 lippis & tonforibus quam notissima sunt,
 Indignabuntur forsitan hæretici nostri,
 frement, iniq; ac acerbe ferent prudenti-
 am suam, quam ipsi de cælo prolapsam pu-
 tant, pro dementia a nobis venditari: Mo-
 res suos, quos ipsi compositissimos procla-
 mant, pro vitiis a nobis divulgari. Meras
 has esse calumnias nostras calumniabun-
 tur, mera hæc esse mendacia nostra menti-
 entur, At indignentur, fremant, iniq; fe-
 rant, calumnientur, quantum volent men-
 tiantur, etiam si libet & licet rumpantur:
 non propterea manifestam & invictam
 veritatem vincent, nec nos in lapidés &
 saxa convertent, nec ut malum dicamus
 bonum adigent. Regerimus interim ipsis
 pleno ore, quod Manichæis olim Augusti-
 num objecisse accepimus. *Hi sunt mores*
vestri, hic finis admirabilium Præceptorum,
ubi nihil certum, nihil constans, nihil ratio-
nabile, nihil inculpabile: Sed omnia dubia,
imo vero sine dubitatione falsissima, omnia
repugnantia, abominabilia, absurda. Deniq;
tam multa & gravia in his moribus depre-
tenduntur peccata, ut si quis accusare velit
omnia, homo alicujus facultatis singula
singulis ut minimum voluminibus possit.

August.
lib. de
mor. Man.
c. 19

Non possumus nos hic aliter ; Scapham
 Scapham indigetamus, lignonem lignonem
 nominamus. *Impossibile siquidem est, ut*
mutuatis Nazianzeni verbis utamur, Nil^{Inveff. 2}
catarractas fluvii impetum ab Æthiopia in^{in Julian.}
Apoll.

Ægyptum ruentis compescere : aut liliacum
littus, etiamsi ad tempus nebula contega-
tur, abscondi : aut Christianorum linguam
impedire, quo minus res vestras (hæreti-
ci) notet infamia.

Vos vero ô Constantissimi Orthodoxyæ
 fidei Confessores & propugnatores, quot-
 quot adestis, quotquot estis, & quotquot
 esse vultis, ex fructibus malis modo enu-
 meratis, malam arborem cognoscite, homi-
 nes istos tam malæ fidei atq; notæ vitare
 discite, *ut videntes, quæ sunt ipsorum, in*^{Iren. lib. 1}
nullo eis, (B. Irenæi verba profero) neq;^{adv. hæres.}
in doctrina, neq; in moribus, neq; in quoti-
diana conversatione communicetis. A falsis
 istis Prophetis, qui ad vos in vestitu ovium
 veniunt, cavete : ne quis vos seducat, vi-
 dete. Charissimi, non omni Spiritui credi-
 te, sed an ex Deo sit probate : Hæreticum
 hominem fugite, in domum non recipite,
 nec ave ei dicite : Exite e Babylone, ex-
 ite ! operarii subdoli sunt, in Apostolos se
 transfigurantes : in deceptione illudores
 sunt, speciem pietatis habentes, virtutem
 autem ejus abnegantes : Lupi rapaces
 sunt, gregi non parcentes : Magistri men-
 dacii sunt, sectas perniciosas introducen-

Matth. 7

24

Johan. 4

Tit. 3

Johan. 1

Apocal. 18

2 Cor. 11

2 Tim. 3

Act. 20

2 Pet. 2

1 Joba: 2

1

tes. Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non fuerunt. Nam si ex nobis fuissent, utique nobiscum permanissent. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit. Nos ex Deo sumus: qui novit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & Spiritum erroris. Tu vero

*Doctrinam defende tuam Pater optime, nobis
Et cohibe Turca Pontificumq; minas. [dum,
Qui Christum Dominum, summâ pietate colen-
Sedibus athereis precipitare volunt.
Et Rex Christe tuas vires ostende potentes,
Qui Dominus summus vincere cuncta potes.
Nosq; juva, ut victrix Ecclesia pace fruatur,
Et celebret nomen tempus in omne tuum.
Spiritus alme Deus, consolatorq; piorum,
Fac ut concordēs simus & unanimes.
Atq; tuis membris adsis in agone relictis,
Duc nos in vitam per grave mortis iter.
Consilia insidiosa potens disperse superbis,
Et premat illorum, fac, mala causa caput.
Atraq; precipites capiat spelunca latrones,
Quam facit innocuis perfida turba viris.
Inviti quamvis, pleno tamen ore loquantur,
Vivere post avi secula cuncta Deum.
Atq; juves mediis in fluctibus usq; relictos,
In te dum firmam spem posuere pios.
Temporibus nostris Pacem concedere nobis
Digneris, petimus te, Pater atq; Deus.
Namq; alius nisi tu pugnare volensq; potensq;
Pro populo nemo est, o Deus alme, tuo.*